quidem diuerſitas aliqua, ex omnium cauſſarum fontibus dimanans: haud tamen ea tantarum virium, vt ſcopo agẽdi euerſo, pij prudentisq; artificis molitionem fruſtra habeat, aut in pręſentaneum ęgroti damnum noxiè peruertat. Via patet communis & ampla, quà vir bonus, medicus peritus ingrediatur. Pręparationis modi, diuerticula ſunt, nõnunquam etiam compendia, & breuiores ſemitę, haudquaquam ambages medici itineris rectiùs abſoluendi. Ergo, quod ſummè in votis nobis eſt, qui hactenus affectuum impotentes, tranſuerſum acti, mutuis odijs in verborum quoq; certamina, prudentibus viris indigniſſima eruperunt, reuocent ſeſe intra medicę εὐσχημοσύνης καὶ φιλανθρωπίης limites. Δεινὸν κασιγνήτοισι γίγνεσθαι λόγους: & cùm παῖδες ſint ἰητρῶν fraterno conſenſu ſuam teſtentur φιλοτεχνίην, memores illius Heſiodij, — *Euripides.* — *1. Operum.*

> Μὴ δέ σ' ἔρις κακόχαρτος ἀπ' ἔργου θυμὸν ἐρύκοι.

ΔΟΞΑ ΤΩ ΘΕΩ.